



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Wicterpus Episc. 8. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

8. April. VITÆ SANCTORVM.

183

aditu aquarum eluvionibus obfesso, vitæ necessariis arceretur, Deipara virginū choro cincta buceam panis in os AIBERTI indidit, quā exinde cibi inopiam annis duobus & viginti, duobus minus bibendi desiderium sustentavit. Cilicio corpus, imò innocentiam tegebat ; neque enim castitas tutius habet involucrum. Centies quotidie procumbens, verba divinæ ad Deiparam legationis iterabat. Scamno solōve somnum excipiebat, ingratum naturæ exactorem & pretiosi temporis furem mulctandum, non mulcendum existimans. Multos à devio in semitam virtutis, histriонem adeò, cuius quondam odæ mutandi statūs occasionem præbuerant, revocavit ; facilis audiendis pœnitentium criminibus, plusque patris quam judicis adferens ad tribunal. Vitâ ad hunc modum in annum quinquagesimum prolatâ, rebus humani eximitur anno M.C.XXIV. & nunc quoque non nisi uno cibo pascitur, ASPECTV DEI. Ex Sur. & Lippel.

Inter pressuras & erumnas ad illum semper oculos erige, qui te paratus est, post flagella, dulcedinis sue gremio confovere; qui te post turbines & procellas in superna quietis amoenitate constituet, & ab oculis tuis lacrymas linteo consolationis absterget. S.Dam.1.8.ep.6.

S. WICTERPUS EPISC. 8. Aprilis.

D E WICTERPO Gallia contendit & Bojaria. sed cælum pridem litem diremit, cum sibi illum vindicavit verior patria. Pontifex Augustæ, fundum, quem ad Julias fauces habebat, Eptatum, DD. VIRGINI & Laurentio donavit, locumque eum velut ad sanctiores ferias Tusculum habuit, frustra Henrico Antistite etiam mortuum

inde

inde auferre adnitente, cùm vel MARIA WICTER-  
PVM suum nolle dimittere, vel WICTERPVS:  
MARIA suā nolle recedere. Templum quoque  
D. Afræ, quæ inter Hungarorum populationes al-  
teras penè flammas passa est, è cineribus in pristi-  
num splendorem erexit. Vos qui sacra manibus  
tractatis, unum audite & exhorrescite. D. Herluç  
virgini à morte tam fuit familiaris, ut quoties fere  
ad epulum sacrum iret, comes iret aut dux WIC-  
TERPV. Fortè solam Herluca se credidit inter-  
preces. Sed sola non fuit. Adfuit cum WICTERPO  
CHRISTVS, triste oculo amantis spectaculum &  
verbo ipsissima Pilati scena. Nihil hic, tantum la-  
crimæ & gemitus loquebantur, & nimirum to-  
ora quot vulnera clamabant. Illud etiam VVIC-  
TERPV ad Herlucā addidit: *Ad hanc formam Sponsi  
expallescis soror?* illa; *emorior.* Ille iterum: *Cupis  
oculis theatrum crudelitatis hoc amotum?* illa iterum:  
*ah! percupio.* Ergo, subjicit VVICTERPV, oculos  
nega Richardo sacrificanti, cuius impuritas carni-  
fex est Sponsi tui. Audiit, abstinuit ab impuri sa-  
cris, idemque ut vulgus faceret, auctor fuit. O  
ætas nostra! ô sacra! ô Sacerdotes! eja dicite;  
oculos hominum à vobis si abducunt Superi, qui-  
bus ipsi vos aspicient, nisi iratis? *Ex Bau. S.*

*Si non solum anima, sed & corpus nostrum templum  
est Spiritus S. quomodo is, cui prohibetur carnale com-  
merciū, non violat templum Dei, dum semetipsus  
petulanti luxuriæ prostibulum constituit, Spiritum S. in  
quo signatus fuerat abjicit, spiritum libidinis in se in-  
troducit?* S.P.Damian.l.4.Ep.3.

S. MA.